Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 1985
Quelle:
Copyright:

Item non melius metro illigata Nomina omnium Librorum biblicorum: *Geneſis. Exo. Levi. Nume. Deu. Joſu. Judic. et Ruth* &c.

DCCCXI.

U. 197 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 394. 4. non una manu exaratus, olimque partim a *M. Andrea de weytra*, partim a *M. Wolfgango de Egenburga* relictus *Collegio beate marie virginis domus rubee Roſe aput fratres predicatores in wyenna* Congeries eſt *Sermonum* intra annos 1418 — 61. partim in *Aula Collegij Ducalis*, partim in *Monaſterio Predicatorum* aut *Scotorum* ad Academicos habitorum, oratoribus, qui nominantur, *M. Petro de Pirchenwart* et *M. Joh. de Titmanning*; neque enim Sermones omnes vel annum, vel locum, vel autorem produnt, neque operae pretium eſt, minutius in haec ſingula deſcendere. Interpolantur tamen Sermones hi quibusdam Argumentis aliis, quae indicanda cenſeo.

Fol. 21. p. 2. *Sermo Clementis Pape de Sancto Johanne Ewangeliſta.* Mirandum, Sermones facundi hujus Pontificis, ordine *Sexti*, a. 1352. demortui a nemine typis hactenus commiſſos fuiſſe. Συλλογὴν eorum unam inter Codices *Homileticos* retuli *Vol.* I. P. 3. Extant praeterea *Mſs.* in pluribus Bibliothecis *Angliae* et *Galliae*, ut videre eſt apud *Oudinum T. III. col.* 931. in *Paulina Lipſ.* in *Rhemenſi* Archiep. in Cathedrali *Metenſi*, ubi *Sermo* noſter habitus dicitur *Pontificatus ſui anno quarto.* Thema illius eſt: *Hic eſt diſcipulus ille* &c. *Joh. ult.* et initium: *Cum conſidero de glorioſiſſimo apoſtolo et ewangeliſta iohanne, quod ſecretorum ignotorum eſt auidus indagator* &c.

Fol. 190. p. 2. inſerti *Sermones IV. S. Bernardi*, nempe I. II. et III. *de Purificatione* B. V. Mariae, qui in edit. *Maur.* leguntur T. III. *col.* 959—62. et *de Annunciacione* II. qui ibi ſequitur *col.* 977. Interjecta tamen ſunt inter II. et III. Excerpta ex *Apologia* Ejusdem *ad Guilelmum Abb.* quam invenies T. II. *col.* 527.

Fol. 239. Adlocutio gemina quorundam Viſitatorum eccleſiaſticorum, quorum prior incipit: *Spectabiles viri, Patres ac domini mei digne recolendi. Indignum non autumarem, ſi quem ex vobis queſtionis ambiguitas pulſaret, que cauſa noſtri ad vos aduentus et veſtre congregationis ad nos conuentus exiſteret* &c. Altera: *Reuerendi Patres et Domini in chriſto ſincere dilecti. Ex mandato et commiſſione ſpeciali reuerendiſſimi in chriſto patris et domini noſtri domini Leo.* (nardi a Layming) *epiſcopi patav. nec non diſpoſicione ac iuſſione ſereniſſimi principis Alberti domini noſtri ducis Auſtrie* &c. Agitur de Viſitatione Cleri *infra Anaſum*, ut in utraque Adlocutione exprimitur, *ab iſta parte Danubij*, idque, ut in priore, ex ſtatuto ſacrae Synodi, *que pridie* (pridem?) *in eccleſia patauienſi ſolempniter et deuote extitit celebrata.* Dioeceſin hanc viſitatam fuiſſe

a.